

Procuratione exustum, propterea quod speciem utramq; Laicis dederit, refert *Andr. Fricius* in sua Defensione coenæ Domini integræ à populo sumendæ, quam scripsit An. 1558. ubi ait: adhuc illo tempore in vivis fuisse qui factum illud meminerint *vid. Forbes. Instruct. Historico Theol. L. XI. c. XIX. p. m. 611.* Quibus ergo artibus dispensationem declinant, aut qua contentione rigorem suum contumaciter urgeant, ex hæcenus dictis abunde patet, à quo nunquam concessuri sunt, nisi forte metus defectionis quorundam, in quibus sibi multum præsidii vident positum, aut vis superior imminens diversum jubeat. Tanti est sapere! Faciunt homines callidi prout religio & **RATIO STATUS** suggerit.

§. II. Extorsit illa **RATIO STATUS** Romano Pontifici dispensationem ut calicem Regi Gallorum concederet. Ita enim *Joh. Baptista Casalius Romanus de Veteribus Christianorum ritibus Cap. II. p. m. 109.* Fertur Gallia Rex *Clementis VI.* indultu quoties libuerit sub utrâq; communicare; et si alii ad binas vices restringant, nempe dum ipse ungitur & in articulo mortis. & *Pallavicinus L. XVI. Hist. Concil. Tr. §. 13. p. 13.* Ad graviores animadversiones pergamus. *Albertus Divinius de Gliricis, Episcopus Veglensis* monuit, in Cypro, in Creta, & in aliis regionibus esse prope sexcenta capitum millia, quæ usum Calicis retinebant, & tñ. cum Ecclesia Romana eos convenire; adeoq; cavendum esse ne damnarentur, quemadmodum indicabant verba capitum digestorum, quod non modicam perturbationem excidisset. Libellum etiam protulerunt Oratores Gallici, in quo non modo eandem quam *Cæsariani* relaxationem petebant, sed insuper postulabant, ne in quovis decretorum eventu ullum afferretur detrimentum Regi Christianissimo, qui sua consecrationis die solitus est pro vetustissima consuetudine sub utrâq; specie Sacramentû suscipere, idq; usurpari in eo regno à nonnullis Cœnobiis Ordinis *Cisterciensis*, certis quibusdam diebus. Ad hæc responsum est, in decre-